DISSERTATIO MEDICA

DE

STVDIO NOVITATIS

IN

ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA

QVAM

CONSENSV GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

VT

A POTENTISSIMO REGE

CLEMENTISSIME

SIBI DEMANDATVM MVNVS SOLENNITER AVSPICARETVR

D. IVN. A. O. R. CIↃ IↃCC XXIV.

H. L. Q. C.

publice defendit

PRÆSES

D. PETRVS GERIKE

MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ PROFESSOR PVBLICVS EXTRAORDIN.

RESPONDENTE

IOANNE CHRISTIANO WEIDENHEIM

Alsleb-Magdeb.

HALÆ MAGDEBURGICÆ.

Typis IOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

CVm ante tres annos ſpeciminis inauguralis loco de ſtudio novitatis in Medicina diſſertationem conſcriberem, interque meditandum larga ſe dicendorum materia offerret; commodum videbatur, in plures partes tractationem diſtribuere, & primum omnes Medicinæ ætates pecurrendo, quid boni malive innovandi ſtudium pepererit, in genere oſtendere, ſpecialiorem vero conſiderationem ſingularum Medicinæ partium, qua, quid iſtis ſive pulchritudinis, ſive utilitatis, eodem ſtudio acceſſerit, vel etiam labis ſit affrictum, & quomodo totum Medicinæ corpus per eas vel ornamentum, vel majus robur acquiſiverit, inter dum etiam varia contraxerit vitia, pateret, ſi primo illo labore doctorum approbationem aliqua me ratione meruiſſe intelligerem, aliis occaſionibus ſeponerem. Non mihi ita blandior, ut tenui iſta ſcriptura eximiam de me feciſſe ſpem arbitrer: viſa tamen eſt qualiſcunque mea diligentia non inutilis viris quibusdam in Medicina celeberrimis, quorum mihi vel judicium & autoritas, vel etiam benevolentia ſufficit, ut telam hanc inchoatam, quod publice in me recepi, bono cum Deo, pertexam. Cumque nunc,

ut munus à Potentiſſimo Rege noſtro clementiſſime mihi demandatum legitime capeſſam, ex more academico diſſertatio ſolemnis publice mihi defendenda ſit: ea nunc primum & unice quæ eodem illo tempore, quo primum ſpecimen edidi, in chartas conjeceram, de ſtudio novitatis in Anatomia & Phyſiologia, multis de cauſis Lectori ſiſtere conſtitui, reliqua, quam primum licebit, una vel altera adhuc diſſertatione abſoluturus. Faxit Deus, ut omnia feliciter! Tu vero Lector cogitabis, non librum me, ſed diſſertationem ſcripſiſſe, in qua formam quidem operis primis quaſi lineis deſignare licuit, opus ipſum, quemadmodum materiæ copia & dignitas poſtularet, plene elaborare & exornare non licuit: deinceps propoſiti mei rationem fuiſſe, non ut de omnibus & ſingulis novitatibus medicis agerem, ſed ut præcipua, circa quæ novatorum induſtria huc usque occupata fuit, in ſummas complectendo, quid illa profuerint obfuerintve, inprimis vero, quam praxis medica hoc innovandi ſtudio ſit promota, oſtenderem. Huc enim referenda mihi potiſſimum omnia arbitratus, prout arti rectius faciendæ magis minusve conducere quodvis mihi viſum fuit, pretium ei ſtatui; quod ſi vel majus juſto, vel minus, quis a me poſitum exiſtimaverit, cogitet, nec in reliquis negotiis idem earundem mercium ab omnibus pretium collocari, ſed pro emtorum pariter atque eorum, ex quorum illæ officinis prodeunt, diverſo judicio atque animo diverſe æſtimari ſolere: meum tamen judicium, quamvis non contemnendas ejus rationes habere me putem, non adeo probari, ut meliora, non quidem jactantium, ſed edocentium monita, non ſequi lubentiſſime velim.

§. I.

Initium igitur faciam ab Anatomia, & prætermiſſis prioribus temporibus, quæ à ſeculo XVI. in artis incrementum ab Anatomicis ſuſcepta & præcipue digna laude videri poſſint, conſiderabo. Friguerat hactenus hoc ſtudium langue-

gueratque, unico Galeno, uti in aliis, ita hic quoque principatum obtinente, nec quoquam aliquid agitante, niſi quod ab illo fuiſſet edoctus. Haud alibi manifeſtius deprehendas, quam ſerva animalia ſint, artiumque & ſcientiarum incrementis obſtent, qui magiſtrum ſuum ſine judicio ſequentes, ultra illum ſapere nec ſibi, nec aliis, permittunt. Quæ enim ſenſibus percipere poterant & debebant Anatomici, quæ oculis cernere manibusq; contrectare erat conceſſum, ea ex Galeno depromere & alienis, quam ſuis ipſorum oculis videre malebant, quin, quod vix credibile videtur, iis majorem fidem habebant. Adeo ſiquidem hoc ſectandi ſtudium invaluerat, ut, cum Veſalius, vir ſempiterni nominis, & jure Magnus dictus, collapſam hanc diſciplinam, quod ex parte antea jam tentaverant Berengarius aliique, magna induſtria reſtituere, & Anatomicos oculorum uſum docere conaretur, multi, qui tamen ea ipſa maximam tunc temporis adepti eſſent exiſtimationem, acerbiſſime exciperent eundem aſſerentem, quod re ipſa evidentiſſime demonſtraverat, Galenum quædam non ignoraſſe tantum, ſed etiam in multis erraſſe. a)

§. II.

Vicit tamen tandem novitatis ſtudium in Anatomia, & ab eo tempore præclara ubique ingenia omnibus viribus id egerunt, ut novis quibusdam in lucem productis, quæ antea in hominibus & brutis quoque latitaſſent, gloriam ſibi compararent. Nihil intentatum remanſit, ſed tentata omnia mille ſunt modis & perquiſita maxima, minima. Vnde mox interiores corporis partes tot fere clariſſimorum virorum nominibus, tanquam nova ſidera, quæque ab inventoribus ſplendorem accepiſſent, corruſcarunt, quot magnis in Aſtronomia luminibus lunæ montium culmina à Ricciolo ornata nunc conſpiciuntur. Vix certe ulla diſciplina tam exiguo temporis ſpatio tanta incrementa cepit, quanta hæc

 ipſa:

a) Vid. Conring. Introd. in art. med. cap. IV. §. 22. ſeqq.

ipſa: quæ ſi quis cum iis, quos veteres per tot ſecula fecerunt progreſſus, conferre velit, magno omnino novitatis ſtudium anatomiæ commodo vertiſſe deprehendet.

§. III.

Sed ut omnia iſta, vel ſaltim præcipua, quæ recentiorum induſtria in anatomia reperit, ſigillatim recenſere nimis longum foret, neque id valde ad inſtitutum noſtrum pertinet: ita hoc negotium jam alii exſecuti ſunt, & maxime Cel. D. D. Heiſterus. b) Videamus tantummodo quod propius ad rem noſtram ſpectat, an & quam utilitatem ex hiſce novitatibus ars medica ceperit? Diſpiciendum vero ante omnia hic in genere eſſet, an & quid commodi Anatomia arti præſtet? cum in eo valde diſputaverint Medici omnium ſeculorum & hodieque diſputent, aliis omnem fere illi uſum denegantibus, aliis e contrario ſine accurata interiorum partium corporis noſtri notitia neminem cum certitudine & laude in artis operibus verſari poſſe dictitantibus. c)

§. IV.

Sed cum hanc diſputationem, utpote longam deductionem requirentem, inſtituere ſpatii noſtri anguſtia non per-

---

b) In Compend. Anatom. Quæ vero clariſſimorum hujus ſeculi Anatomicorum laboribus ſunt detecta, idem laudatiſſimus autor 1720. ſingulari programmate, ac mox inaugurali oratione, breviter quidem, ſed doctiſſime oſtendit.

c) Quæ Veteres hic in utramque partem diſputaverint, ea apud Celſum L. I in præf. legi poſſunt. Magis diſſentiunt recentiores & fere tot ſenſus, quot capita, nunc deprehenduntur. Sed ut quoſdam horum vel nimio contradicendi ſtudio, vel quod more vulgari odiſſent ea omnia, quæ ignorarent, nimis eſſe progreſſos, manifeſtum eſt; ita diſcuſſione omnino digna mihi videntur dubia, in elegantiſſima diſſertatione, quam Hiſtoriæ Medicinæ Cel. Dan. Clericus part. II. 65. edit. An. MDCCII. inſeruit, propoſita, quem tamen hic laborem ſuſcipere non licet.

permittat: ſupponamus tantiſper, uſum Anatomiæ in genere ſatis amplum eſſe, quem certe in Chirurgia præſertim & caſibus forenſibus decidendis, nemo hodie, niſi ſuam in utraque hac re imperitiam turpiſſime prodere velit, in dubium vocaverit, in omni vero praxi medica præ aliis ſolidiſſime adſtruxit Illuſtris Facultatis noſtræ Senior, & h. t. Decanus Spectatisſimus, Hoffmannus, & ſtatim ad prioris quæſtionis examen nos accingamus. Vt vero illud eo rectius a nobis inſtituatur, ad tria genera revocabimus, quæ recentiores in Anatomia vel primum repererunt, vel melius docuerunt. In eo itaque magnopere primum illorum deprædicanda venit induſtria, quod ſtructuram, ſitum & connexionem plurimarum corporis partium accuratius multo & elegantius, quam quidem id a veteribus factum erat, deſcripſerint, & alias, ab his olim prætermiſſas, in conſpectum produxerint. Quæ certe inventa magnam in praxi utilitatem attulerunt: ſiquidem multa eaque egregia, quoad partes in morbis affectas, horum cauſas ac ſymptomata, adeoque ipſam curationem, præſertim vero ſi externam remediorum applicationem & auxilia chirurgica ſpectemus, olim incognita, illorum ope adhuc fuerunt detecta.

§. V.

In proclivi foret hujus rei veritatem multis exemplis in ſcenam productis hic confirmare. Sed otium mihi fecit modo laudatus Illuſtris Hoffmannus, qui in ſupra allegata diſſertatione plurimis atque luculentiſſimis ſpeciminibus eam adſtruxit. Non tamen ſilentio mihi præterire licet, quibus recentiorum Anatomicorum diligentiam, inprimis de arte noſtra præclare meruiſſe puto, nimirum quod origines & diſtributiones nervorum ac vaſorum ſanguinem vehentium, in quo negotio veterum infelices conatus, an hebetudinem? nunquam ſatis mirari poſſum, adeo hic præter nugas nihil fere egiſſe videntur, accuratiſſime detexerint ac ſint proſecuti. Quo nomine primum Veſalius, deinde præ

reli-

reliquis Ruyſchius & Vieuſſenius immortalem gloriam merentur. Mihi vero, quod nunc doctrina pathologica tantopere ab illa, quam veteres hoc nomine coluerunt, diſtat vereque rationalis dici poteſt, a qua hæc laude multum adhuc abeſſe deprehenditur, his potiſſimum inventis acceptum videtur eſſe referendum. Nam ex eo tempore poſſumus multorum morborum & ſymptomatum veras & intelligibiles dare rationes, conſenſus etiam illorum & transmutationis d) multaque alia ſatis feliciter oſtendere, in quibus omnibus per tot ſecula irrito conatu veterum ſe ingenia torſerunt. Exempli loco tantum commemorabo venam portæ, e cujus ſtructura, ramificationibus & diſtributione, tam multa egregia ad cognitionem mali hypochondriaci, fluxus hæmorrhoidalis & motuum huc ſpectantium plurimarumque aliarum rerum pertinentia, quæque non parum curantis conſilia dirigere poſſunt, deduxit Illuſtris Stahlius, e) ut nemini videri mirum debeat, veteres, ad illa non recte attendentes, falſosque ſibi de venæ portæ & lienis officio conceptus formantes, tam lepidas de illo malo effinxiſſe fabulas, & in curatione ejusdem anxios ſæpe hæſiſſe, qua iſtam potiſſimum via aggrederentur. Dimittit vena modo dicta ramum aliquem verſus inteſtinum rectum, variis ſurculis anum inveſtientem & venæ hæmorrhoidalis internæ nomine notum: a qua probe diſcernenda eſt, quæ mediante hypogaſtrica, a vena cava proficiſcitur, & tum eandem anum, tum veſicam urinariam, ſed hanc copioſioribus propaginibus ambit, hæmorrhoidalem externam vocant, quam veteribus non obſervatam fuiſſe, Thomas Bartholinus f) annotavit. Quam vero hæc obſervatio utili-

ter

d) Vid. Illuſtr. Hoffmanni diſſ. de conſenſu partium, præcipuo pathologiæ & praxeos medicæ fundamento. It. de tranſmutatione morborum.

e) In Diſſ. de Vena portæ, porta malorum.

f) Anat. libell. I. de Venis Cap. IV.

ter in praxi applicari queat, ante aliquod tempus in rariore mictus cruenti caſu oſtendit Cel. Hoffmannus g), cujus originem & ſymptomata, diverſa omnino ab iis, quæ in illa mictus cruenti ſpecie, ubi mali fons in renibus latet, non niſi ab hujus externæ hæmorrhoidalis venæ ſtructura deducenda fuiſſe, evidentiſſime docuit. Nec dubium eſt, quin ad prognoſin præcipue hujus mali formandam, & hæmorrhoidalis quoque negotii explicationem, multum referat, hanc diſtinctionem probe noſſe: ſiquidem ibi alia mala provenire neceſſe eſt, ſi ſanguis, quacunque de cauſa regurgitans, per venam hypogaſtricam atque iliacam, alia, ſi per venam portæ ad has illasve partes delabitur; hic vero non ſatis patet, quomodo hæmorrhoidibus externis ſuppreſſis, ſtatim ſanguis per emulgentes ex iliacis ad renes perveniat, & in his mictui cruento, nephritidi atque calculo anſam præbeat, quorum omnium ratio perſpecta hæmorrhoidalium externarum diſtributione, ſatis manifeſta eſt.

§. VI.

Sed multo clarius inventorum anatomicorum uſus in Chirurgia patet, quæ nunc idcirco longe præſtantior, quam olim, & plurimis novis, iisque utiliſſimis præceptis, conſpicienda venit. Afferam tantummodo unum alterumve exemplum, quod inſtituti mei ratio permittit. Glandulam pone aures ſitam, parotidem vocant, ſalivam mediante ductu aliquo ad os ablegare, Stenonis demum nuperiori ſeculo diligentia cognitum eſt. Is multis radicibus ortus mox in unum truncum coaleſcit, qui per mediam genam ſupra muſculum maſſeterem excurrens, ad ſecundum vel tertium dentem molarem deſinit. Exinde ſtatim diſcit Chirurgus, quod in curandis vulneribus atque fiſtulis malarum magna cum cautione cultrum dirigere debeat, ne forte hoc canali reſciſſo, atque ita ſalivæ flumine intercepto,

B novæ

g) In Medicinæ Conſultatoriæ Dec. I. Caſ. 9.

novæ fiſtulæ occaſionem ſubminiſtret. Quantum vero ejusmodi fiſtulæ aliique genarum morbi varii, a vitio hujus ductus derivandi, ante hanc inventionem Medicis & Chirurgis celeberrimis faceſſerint negotii, de eo Nuckii h) teſtimonium conferri poteſt. Eandem cautionem in ſolvendo linguæ frenulo & ranula exſcindenda adhibere decet, ne ductus Wharthoniani aut ſublinguales, qui itidem ſuperiori demum ſeculo in lucem protracti ſunt, lædantur. Dixi, ductum Stenonis ad ſecundum vel tertium dentem molarem terminari. Inde vero accidit, ut ſaliva hic jugiter a parotide deſtillans, ſi paulo ſit acrior, hos præcipue dentes aggrediatur, vel materia tartarea ei permixta eorundem lateribus adhæreat, quorum phœnomenorum rationem iis, quibus dentium ſuorum integritas curæ eſt, nonnullius uſus futuram arbitror.

§. VII.

Ceterum aliquando a celebribus quibusdam Medicis ac Chirurgis aſſertum erat, dari ſub ſterno inter utramque mediaſtini membranam interſtitium aliquod cellulosum ſatis grande, quod interdum prægreſſa inflammatione repleri materia purulenta ſoleret, ſterni deinceps perforatione per treparium educenda. Hanc vero cavitatem nunquam a natura efformatam conſpici, ſed demum, quando ſternum in ſectione elevatur, effici, atque adeo fruſtra & temere hic trepanum applicari, Th. Bartholinus i) jam cum aliis docuit, & contra quorundam recentiorum aſſerta evicerunt, qui noviſſime ſingulari ſtudio & cura in hanc rem inquiſiverunt. k) Et quamvis dari interdum caſus queant, in quibus omnem huic operationi utilitatem non denegaverim; ſiquidem eo loco, qui ſterno immediate ſubjacet, mem-

h) In Sialographia. Cap. 3.

i) Anat. ref. L. II. cap IV.

k) Ruyſchius Adverſ. Anat. Dec. I. Obſ. 8. & Winslow in Memor. de l'Acad. Roy. des Scienc. A. 1715. p. 309. ſeqq.

membranas mediaſtini a materia quadam noxia a ſe ita invicem ſeparari nonnunquam poſſe, ut ſpatium detur, antea haud exiſtens, cum Blaſio l) valde veroſimile exiſtimo: nemo tamen idcirco circumſpectus Medicus facile eam ſuſcipiendam ſuaſerit.

§. VIII.

Colligere hinc licet, quantum referat, Anatomiam ab erroribus, qui ſive olim, ſeu nuper in eam invecti fuerunt, magis ſemper magisque immunem præſtare; quamque non inutilis labor eorum ſit exiſtimandus, qui novis illos ſubinde obſervationibus emendare annituntur. Haud vero alibi rei hujus neceſſitas manifeſtius deprehenditur, quam in iis negotiis, in quibus Medicorum ante judicia requirunt Jureconſulti, quam noviſſimam ſententiam pronuncient. Nullus hic innoxie admittitur error, nihil negligitur, quod non præjudicium aliquod iis, quorum intereſt, ut recte Medici calculos ſubducant, afferat. Quæ ergo ſola ratio ſufficere poſſet, ut Anatomiam, ſine cujus exquiſitiori notitia omne hic judicium temere inſtituitur, quovis modo emendandam ſibi Medici ſtatuerent. Neque vero in hiſce negotiis vel mediocriter verſatis obſcurum eſſe poteſt, quam recentiorum Anatomicorum induſtria plurima in iis nunc illuſtrata ſint atque interdum emendata. Foret alioquin in promtu, argumenti loco allegare vaſa lymphatica, venas lacteas, ductum thoracicum & alia ſuperioris demum ſeculi inventa, quorum læſiones ex illo tempore maximam ſæpe in vulnerum renunciationibus conſiderationem mereri viſæ ſunt Medicis, & ſine quorum proinde notitia de multorum vulnerum lethalitate nihil olim ſolidi pronunciari potuiſſe, palam eſt. Quare etiam nunc prætermittam, quæ de muſculi crotaphitis, de cerebri, de dia-

l) Obſervat Anat. p. 15.

diaphragmatis & de veſicæ urinariæ ſtructura, accuratius nuperi Anatomici tradiderunt, & quam multi errores harum obſervationum luce in judiciis, de violentæ mortis cauſis olim commiſſi, detecti atque emendati fuerint. Neque enim hic prolixe novitatum anatomicarum uſum in foro oſtendere licet, & præſtitit illud, uti ſuccincte, ita accurate & eleganter magnum illud olim Lipſienſium decus, Bohnius, paſſim in tractatu de renunciatione vulnerum.

§. IX

Alteram recens inventorum claſſem, de quibus in primis ſibi gratulantur Anatomici, conſtituunt partes corporis ſubtiliſſimæ, quas variis encheiriſibus in lucem protraxerunt, quarumque ſtructuram mira arte & incredibili ſagacitate proſecuti, lectorum oculis conſpicuam reddere allaboraverunt. Aſt quemadmodum negari nequit, in hoc ſtadio recentiores multis omnino paraſangis veteribus antevertiſſe: ita parum iſthoc labore laudis illi meruiſſe quibusdam ſunt viſi, quod earum rerum in praxi uſum adhuc evincere non potuerint neque ipſi inventores neque alii, quamvis id aliquoties magnis conaminibus tentaverint. Exempli loco adduci ſolent de interiori nervorum ſtructura, atque horum cavitate, de glandulis, de cortice cerebri, de tunicis vaſorum aliisque rebus quam plurimis diſputationes, magna cum vehementia & multis contentionibus a multo jam tempore agitatæ, vnde praxi medicæ ne tantillum quidem utilitatis acceſſiſſe, qui haſce minutias ridendas putant, contendunt. Mihi nulla veritas, præſertim quæ nobis DEI opera magis admiranda ſiſtit, parvi putanda videtur, riſus vero omnes, quando humanorum ingeniorum, quæ pervidere ſtatim omnia nequeunt, imbecillitas magis, quam perverſitas culpatur, ne quid nunc gravius dicam, intempeſtivi & indecentes. Quod ſi artium & diſciplinarum omnium progreſſus, præſertim qui in illis inde a dimidio circiter ſeculo facti ſunt, ſollicitius contem-

templamur, multa certe nobis occurrunt, quorum ab initio uſus vel exiguus, vel plane nullus apparuit, & cum quibus inventores idem, quod multi hodie præſtantes viri, ſiniſtrum fatum experti ſunt, quorum tamen progreſſu temporis injuriam egregie vindicavit aliorum ſolertia, dum plurima eorum ad uſus tranſtulit, quæ irriſorum ignavia prorſus negligenda exiſtimabat. Quæ nos contemplatio monere poteſt, ne nimis præcipite noſtro judicio poſterorum nos forte contemtui exponamus. Deinceps, niſi aperte in Empiricorum caſtra tranſeundum nobis putemus, omni veræ theoriæ uſu negato, de qua tamen, quantulacunque illa eſſet, ſuo tempore affirmare haud dubitavit Celſus, aptiorem illam Medicum arti reddere: quæcunque ei vel illuſtrandæ vel emendandæ inſerviunt inventa, quod de plurimis ſubtilitatum anatomicarum affirmare minime vereor, grato ab inventoribus animo accipienda artifici exiſtimo, etſi praxin medicam, cui tamen ſæpe e longinquo uſum præſtant, immediate non ſtatim provehant.

§. X.

Sed pergo ad Anatomiam practicam, quæ cadavera ex morbis defunctorum examini ſubjicit, & quo morbo æger laboraverit? ubi is ſedem ſuam habuerit? ac denique ex qua cauſa idem fuerit ortus? quantum hæc omnia ſenſibus deprehendi queunt, demonſtrat. Novum omnino hoc eſt, nec recentioribus dubia reddi poteſt gloria, quod hanc Anatomiæ partem tentaverint primi atque excoluerint gnaviter, a veteribus plane neglectam, quicquid etiam de Ægyptiis narret Plinius. m) Neque vero levis videri hic labor debet, qui, ſi quis alius, a recentioribus ſuſceptus, arti addidiſſe incrementum & magnam lucem praxin facientibus attuliſſe, utique dicendus eſt. Vt enim ſilentio nunc

 præter-

m) Hiſtor. Nat. Lib. XIX. Cap. 5. fabulam tamen eſſe, recte docet Conring. in Hermet. Med. Cap. X. & res ipſa loquitur.

præteream, quam pulchris ab illo tempore ac utiliſſimis obſervationibus Chirurgia aucta conſpiciatur: illud quidem in genere hiſce conatibus aſſecuti ſumus, ut multorum morborum, de quibus fruſtra diſputaverunt veteres, naturam feliciter, aut ſaltim longe felicius, quam olim, nunc explicare queamus; ut certiora in nonnullis habeamus ſigna, quibus innixi & de ſtatu eorundem præſente, & quem exitum habituri ſint, pronunciare valeamus. Licet quoque in multis aliis, qui curationem non admittunt, rationes afferre, cur medentis curam irritam reddant, & ita opprobria, quæ Medicis objici ſolent, a Medicina avertere, quando non amplius nudis verbis, ſed ex ipſa indole partis affectæ & morbi oſtendimus, quod

In Medico non ſit, ſemper relevetur ut æger.

§. XI.

Quamvis vero hunc uſum Anatomiæ practicæ denegari haud poſſe, ſatisque eximium eſſe exiſtimem, ac dolendum maximopere ſit, quod Medicorum plurimorum vel faſtidium vel ſatietas, aliorum vero hominum neſcio quæ vana religio? rariores haſce exercitationes faciat: rem tamen ſedulo conſiderantibus facile manifeſtum fiet, nondum eo labore id effectum eſſe, quod nonnulli jactitant, aut quod effici videtur potuiſſe, ſi ad eum Medici eam ſemper diligentiam, ſcientiam atque integritatem, ſine quibus nequicquam is inſtituitur, attuliſſent. Quod enim in primis ad commendationem hujus exercitii adduci a multis ſolet, illud nobis morborum cauſas, antea haud intellectas, pandere, & ad eorum interiores latebras nos perducere, cuperem equidem, ut quamplurimis obſervationibus in medium prolatis huic aſſerto fidem facere poſſent, neque ii, qui ſedulo eam rem agunt, ſæpiſſime induſtriam ſuam atque expectationem a fortuna falli quererentur. Equidem, quotiescunque mortuorum cadavera inciſa luſtramus, vel obſervationes practicas, a Medicis poſt mortem factas, examinamus,

nun-

nunquam certe non pars aliqua corrupta aut aliter ſe habens, quam in corpore integro conſuevit, deprehenditur; quod ſane ita futurum facile cuivis quantumlibet indocto ante diſſectionem ſuſpicari licebat, atque adeo, quod mortuo graviſſimis de cauſis moriendum fuerit, hæſitantibus ejusdem amicis nullo negotio credibile facit Medicus, ea adminiſtratione fungens: quodſi vero ſcire geſtias, quæ prima mali fuerit origo, & cauſa proxima, quæ tolli & debuiſſet & adhuc potuiſſet, incertus plerumque abibis, niſi quod ex omnibus circumſtantiis, ſi attendere velis, certiſſimam ſæpe conjecturam facere queas, temporis demum tractu & poſt varios errores, malum ad hanc potiſſimum partem, ut ibi tragœdiam abſolveret, fuiſſe derivatum, aut Medici perverſæ curationi phœnomena iſta, quæ in cadavere in primis portentoſa videntur, ortum ſuum debere.

§. XII.

Non vero unquam hoc labore ipſius morbi cauſam ob oculos poni, haudquaquam affirmaverim. Siſtitur ea interdum omnino: quod tamen harum obſervationum utilitati non parum detrahit, ſæpiſſime ita ea ſolet eſſe comparata, ut pro inſolito potius phœnomeno, ſive id primæ conformationi, ſive aliis, non minus obſcuris cauſis, originem debeat, habenda ſit, quam ut inde concludere liceat, ex eadem alias ſemper, aut ſaltim ſæpius, idem malum progenerari: cumque ante ſectionem nihil ejusmodi ſuſpicari Medicus queat, vix quicquam hoc labore conſequitur, quam ut ſe fontem mali non cognoviſſe diſcat, ac proinde non temere & cum fiducia de morborum cauſis latentibus ſemper eſſe pronunciandum. Facile mecum hac in re conſentientes me habiturum puto eos, qui ingentem illam multitudinem caſuum, in Boneti Sepulcreto allegatorum, paulo attentius conſideraverunt. Pauciſſimi enim ex tanto numero ejus generis dici poſſunt, ut ad cauſæ alicujus generalioris, quæ certis ſignis in morbis indicetur, notitiam nos perducant:

cant: quamvis plurima alia in magno illo opere deſiderare non immerito ſedulus lector queat. Sed ea, de quibus hactenus dixi, fere ſine Medicorum culpa, imo plerumque contra eorum vota contingunt. Nunc de his, quæ penes ipſos ſita ſunt, ſub votorum titulo nonnulla ſubjungam.

§. XIV.

Ut ergo tantam utilitatem Anatomia practica in poſterum in artis operibus verſantibus afferat, quanta ab hoc ſtudio requiri atque expectari jure poteſt: paucis, quæ deſiderari adhuc merito poſſe exiſtimem, ſententiam mihi dicere liceat. Ante omnia igitur optandum eſſet cum Ill. Stahlio n), ut, quibus frequentius ſectiones inſtituendi copia contingit, ſemper, quid quærere deberent præcipue, ſcirent: deinceps etiam, ut quæ omni adhibita diligentia obſervaverint, ſincere cum lectoribus communicarent, adjecta ſimul accurata totius morbi hiſtoria; ne magis ideo laceraſſe cadaver videri poſſint, quo morbi potius vi, quam ſua aut artis culpa ægrum occubuiſſe, evincerent. Ab iis vero, qui aliorum hac in re factas obſervationes colligunt, requirere poſſis, ut non compilatis promiſcue quibuslibet ſcriniis, molem tantum libri augendam ſibi putent; ſed ſelectu habito, & cum accurato judicio, quæ alicujus uſus eſſe poſſint, recenſeant. Eo tamen in primis enitendum omni opere in poſterum erit, ut quantum ad curationem rectius inſtituendam valeant illæ obſervationes, manifeſtum magis fiat, & allegatione multorum exemplorum, quam aptiorem Medicinæ cauſarum ſic erutarum notitia Medicum reddat, illi qui verbis ſtatim fidem habere nolunt, convinci queant. Cum etiam adverſus varia morborum genera, qui cultro in lucem protrahuntur, certa auxilia promittere Medicus non poſſit: haud parum certe ad ejus & artis etiam exiſtimationem contra frigidas multorum objectiones tuendam inter-

n) In Diſſert. de Vena Port. pag 29.

tereſſet, ut reliquarum obſervationum collatio certa nobis ſigna ſuppeditaret, ex quibus alio deinceps tempore eorundem morborum præſentiam dijudicare & ſic tempeſtive ſiniſtris aliorum judiciis obvertere liceret.

§. XV.

Hactenus variis argumentis novitatum anatomicarum uſum in praxi medica adſtruxi; neque, ut ſpero, fruſtra: quamvis materiæ dignitas ampliorem & abſolutiorem diſcuſſionem requirat, quam quæ in anguſto hoc ſpatio inſtitui potuiſſet. Subjiciam nunc Anonymi, qui in ſuperius allegata diſſertatione apud Clericum placita veterum Dogmaticorum & Empiricorum examinavit, hac de re judicium, quod in iſto multos ſecum hodie conſentientes eum habere video. *Vellem interim*, inquit, o) *ut mihi aliquis diceret, quid omnia hæc inventa* (de anatomicis ſermo eſt) *novi in praxi produxerint, & quot remediis Medicinam auxerint? Dicendum quod res eſt. Non apparet, Medicinam magnam exinde utilitatem cepiſſe, & non ſine omni ratione deriſi adhuc ſunt Medici, quod non pauciores moriantur, ex quo circulatio ſanguinis detecta fuit, quam antea morerentur.* Primo quid cavillationi iſti, quam ſub finem horum verborum adduxit, ineſſe rationis deprehenderit autor, non certe intelligo, de qua quid merito ſtatuendum ſit, ipſe nunc ſententiam meam dicerem, niſi ſummi Viri, cujus hic nomen allegatum eſt, me veneratio cohiberet. Et poteſt ratio, quæ in dialogis obſervari ſolet, hunc facile excuſare, cujus alioquin non modo judicio & candore, ſed etiam ingenio, quibus dudum admirationem omnium meruit, indigna hæc dicacitas eſſet. Quæ enim unquam immortalitatem Medicina hominibus promiſit? Chymicorum fortaſſis quorundam ea gloriatio fuerit: Medici tam eximias inchoare ſpes nunquam in animum induxerunt, multo minus ſibi quis-

C quam

o) Hiſt. de la Medecine Part. 2. p. m. 72.

quam in cadaveribus viam, qua ad illam, non nominis, ſed vitæ immortalitatem pervenire liceret, ſe reperturum perſuaſit. Quæ porro ſiniſteritas eſt, in quo noſtri ſeculi intemperantia manifeſto arguenda eſſet, eam culpam in Medicinam & Medicos transferre velle? Quam vero utilitatem inventa anatomica hactenus arti noſtræ præſtiterint, ſupra multis a me exemplis oſtenſum fuit. Cæterum ante, quam ei dubio, quod de remediorum inventione affertur, ſatisfaciam, nonnulla adhuc, quæ paucis interjectis ab autore noſtro diſputantur, alleganda ſunt. Ita vero pergit: *videntur mihi omnes hæ rationes tam ſolide Empiricorum juſtas poſtulationes ſtabilire, ut nihil reponi queat, & ut ſine hæſitatione concludendum ſit, unici remedii inventionem plus generi humano præſtare commodi, quam omnia ratiocinia de cauſis morborum latentibus, & omnia, licet maxime mirabilia, inventa anatomica. Hæc ratiocinia atque inventa ad ſummum inveniendis remediis inſerviunt, ſed remedia ipſa ea demum res ſunt, quam quærimus.* Specioſa oratio! ſed quæ præter ſpeciem mihi parum reconditi habere videtur. Egregia vero inventorum anatomicorum commendatio eſt, licet egregiam haud putet autor, quod inveniendis remediis inſerviant: quæ quo magis expetenda omnibus votis ſunt, eo minus quicquam Medico negligendum eorum eſt auxiliorum, quibus iſta impetrari queunt. Sed in remediorum inventione ſummam omnium votorum ponendam eſſe, multi autori noſtro non credent. Ac mihi quidem iſta jamjam reperta forte omnia videntur, quæ ſaltim juſtis hominum deſideriis ſatisfacere poſſint: regulas tantum adhuc requiri, quæ nos debitam in quovis caſu applicationem doceant. Ad has inveniendas an parum ſubſidii ea inventa conferant, aut hactenus contulerint, quæ proximas nobis morborum cauſas aperiunt, quæ veras eorundem ſedes indigitant, quæ certiora nos in multis ſigna, unde dignoſcantur, & unde, quid in aliis ſperandum vel timendum ſit,

con-

conjecturam facere liceat, docent? omnium, qui ſollicite & ſine præjudicio rem examinarunt, judicium facio, qui eo nomine hactenus inventorum anatomicorum uſum non inanibus me commendaſſe verbis puto. Si quis vero ſpecificorum, quibus ſine alia arte, aut ſaltim, decoris gratia, præmiſſis clyſteribus, VSne, vel purgante, quemlibet morbum fugari dicunt, titulo captus, omne hinc arti noſtræ præſidium atque augmentum petendum putet: poſſet quidem hoc ſeculo illorum inventione feſtinationi an ignaviæ? plurimorum, qui neglectis omnibus aliis rebus, ſicuti olim in ſcholis pueri ab Homero, liceat enim mihi iſtam comparationem ex Cæcilio huc transferre, ita ſtatim a morborum curatione ſtudium medicum exordiri cupiunt, pulcherrime ſubveniri: metuo tamen, ne, qui blanda iſta ſpe teneros animos lactant, irritis ſuis promiſſis corvos hiantes tandem deluſiſſe deprehendantur.

§. XVI.

Non minor cura & diligentia ex illo tempore, quo caput Anatomia iterum extollere cœpit, in expolienda & emendanda doctrina de uſu partium, quæ Phyſiologia apud nos dicitur, adhibita a multis fuit: tanto autem minore, quam in illa, ab initio ſucceſſu, quanto difficilius ac tardius obtinentur, quæ ſine ingenio, judicio atque multarum aliarum rerum ſcientia conſequi non poſſumus; ex his vero, quæ ſtudium tantummodo & laborem efflagitant, gloriam ſperare cuilibet, quanquam indocto, licet. Erant autem omnino veteris Phyſiologiæ defectus notabiliores & plures, quam ut illo ſeculo, quo omnia veterum dogmata rigidum ſub examen vocabantur, & omnem Hippocratis, Galeni, ac reliquorum ex veteribus diſciplinam Chymicorum etiam pueri conviciis proſcindere didicerant, cujusquam ſe ſubtrahere oculis poſſent: quo ſibi magis omnia ſollicite excutienda, & loco obſcurorum ac ſenſu carentium verborum, quibus illa fere abſolvebatur, in poſterum ex-

peditas atque magis intelligibiles inveſtigandas rationes Medici ſtatuebant. Multo etiam auſpicatius, quia meliori conſilio, rem, quam olim factum erat, ſunt aggreſſi; quam tamen ad omnes laudem minime pertinere, deinceps apparebit; & quamvis nonnulla adhuc ſuperſint, in quibus defeciſſe recentiorum induſtria videri non immerito queat; nemo certe, niſi novarum rerum ignavus prorſus ſit oſor, aut taxanda ſibi omnia ab aliis inventa inepte putet, inſigniter hanc Medicinæ partem illorum conaminibus emendatam ac perfectam eſſe, negaverit. Quodſi quis perſpicere plenius, & quid veterum & recentiorum hic merita diſtent, recte judicare velit: conferat is tantummodo Caſp. Hofmanni, Medici in Academia Altorfina olim clariſſimi, & qui inter primos laudem aliquam ea cura aſſecutus eſt, opera cum Galeno, cumque illis, quæ noſtra ætate Bohnius, uterque adhuc ſuperſtes Hoffmannus, Stahlius, Bergerus, Bœrhaave, & alii inſignes meritis viri de hac materia in lucem ediderunt. Haud enim, ſedula comparatione facta, a tenebris lucem, & hanc ipſam ab umbra, quam illa a ſe invicem differre, manifeſto deprehendet.

§. XVII.

Curæ autem noſtræ pretium erit, quibus potiſſimum viis recentiores hanc rem tentandam ſibi exiſtimaverint, paulo accuratius diſpicere, ut eorum, quos rectis præceſſiſſe animadverterimus, veſtigiis inſtare tanto ſecurius queamus. Maximum itaque primo Phyſiologiæ uſum ſine dubio contulit Anatomia, cui etiam inprimis ſuperſtruendam eſſe illam diſciplinam rectiſſime ſtatuerunt ex illo tempore omnes, quotquot in emendanda illa cum laude ac utiliter verſati ſunt. Mirari certe convenit, ſine Anatomia recte exculta eorum, quæ in corpore noſtro contingunt, rationes reddere conatos olim fuiſſe Philoſophos: ſed tanto minus, ſi operam & oleum, quod ajunt, eos perdidiſſe reperias. Longius quidem hoc ſubſidio inſtructum crede-

res

res *Ariſtotelem*, cui, ut eo felicius hanc rem cum univerſa hiſtoria naturali perficeret, maxima pecuniæ vis ab Alexandro M. ſuppeditata erat: p) ſed parum iſte quoque tanto præmio dignum præſtitit: quemadmodum nec ea, quæ deinceps tum Medici, tum Philoſophi moliti ſunt, magni alicujus momenti eſſe deprehenduntur, etſi ex iis nonnulli operam in Anatomia poſuiſſe non contemnendam videantur. Ut igitur nemo magnam ex hoc ſtudio reportaſſe utilitatem ante Galenum reperiatur, qui quam diſſecandis animalibus ſibi fabricæ corporis comparaviſſet ſcientiam, ea feliciter ſæpe in Phyſiologia uſus eſt, atque multarum partium uſum ſatis ſic bene explicuit: ita, cum reliquis, quorum poſtea mentionem facturi ſumus, auxiliis eſſet deſtitutus, aut ſaltim non probe inſtructus, inoffenſo ubique pede progredi ac omne hoc negotium recte expedire non potuit.

§. XIIX.

At enim vero non ante Anatomiæ in Phyſiologia uſus clarius patuit, quam recentioribus temporibus præſtantiſſimi quivis Anatomici, neglecta Galeni autoritate, proprio Marte & accuratius partium ſtructuram rimati, ex hac potiſſimum cujuslibet functiones deducere cœperunt. Non tamen in hoc negotio pari ab initio cum recentiſſimis felicitate utebantur, cum ejus, quod in corpore noſtro præcipuum momentum habet, & ex quo, ceu fonte reliqua omnia derivari debent, nullam, neſcio quo fato? rationem habuerint, ſanguinem ſcilicet in vivis animalibus circuli quaſi in modum circumferri: quod ab Harveo q) primum

p) Vid. Plin. Hiſt. Nat. L. VIII. c. 16.

q) Jam enim diu ante Harveum circuli hujus notitiam habuiſſe Servetum, Medicum Hiſpanum, qui A. 1553. Genevæ in flammis exſpiravit, ex hujus libr. V. tractatus, qui Chriſtianiſmi reſtitutio inſcribitur, indubie patet, conf. Douglas. Bibliograph. Anat.

aut obſervatum, aut ſaltim luculenter & indubiis argumentis evictum, tantam Phyſiologiæ lucem attulit, ut ab eo tempore hanc doctrinam non tam inſigniter auctam & emendatam eſſe, quam recte primum coli cœpiſſe, affirmare non dubitem.

§. XIX

Sed plura deinceps alia huic ab Anatomia augmenta acceſſerunt, ſine quibus & ipſum circulationis ſanguinis inventum parum ei fortaſſe utilitatis allaturum fuiſſet. Nondum enim abſolutus plane hic circulus videri poterat, aut durare diu poſſe, antequam vaſa illa, quæ lympham a partibus reducunt, in conſpectum producta eſſent, & quo itinere nova ex inteſtinis materia ad ſanguinis maſſam ablegaretur, innotuiſſet. Illis vero demum circa medium prioris ſeculi ſive a Thoma Bartholino, ſive ab alio detectis, & ſub idem fere tempus demonſtrato, qui chylum e venis lacteis, quarum etſi olim jam Eraſiſtrato viſarum, officium tamen paulo ante Harvei inventum docuerat Aſellius, recipit, a Pecqueto ductu thoracico: tam nunc pulchre ſanguificationis negotium exponi poteſt, tamque apte in hac doctrina omnia cohærent, quam vana atque irrita ſunt, quæ olim ei explicandæ Galenus aliique, in hepate ſanguificationis officinam & vaſorum principia quærentes, excogitarunt.

§. XX.

Eundem uſum in chylificationis negotio explicando recens inventa anatomica præſtiterunt, in quo ſatis egregie verſati veteres ſibi videbantur, ſi facultatem concoctricem & expultricem, & tot irrita vocabula, quærentibus allegaſſent: quibus tamen Galenus in ſubſidium poſtea bilem & ſuccum melancholicum dedit, hunc, quem a liene per vas breve arceſſebat, ut ventriculi contractionem, illam ut expulſionem fœcum adjuvaret. Quam vero hæc omnia nunc rectius atque elegantius explicantur, poſtquam ducti-

bus

bus ſalivalibus, glandulis Brunnerianis atque Peyerianis, ductu pancreatis aliisque inventis Anatomia aucta eſt, ventriculi & inteſtinorum ſtructura accuratius perveſtigata, quæ de vaſorum ſanguinem vehentium, & inprimis venæ portæ ortu & progreſſu, eorundemque ac hepatis lienisque officio falſo tradiderant veteres, emendata, & ex duodeni fabrica & laticibus, quæ continuo hic deſtillant, quam illud non minorem hac in re ipſo ventriculo conſiderationem mereatur, Excell. Hoffmannus ſingulari diſſertatione r) oſtendit? Plura nunc exempla in medium producere, quod facillimum foret, non libet, cum ad confirmationem aſſerti mei hactenus allegata ſufficere mihi videantur.

§. XXI.

Deinceps vero non parum ad expoliendam hanc doctrinam contulit philoſophandi ratio, quam recentiori ævo Verulamius omnium primus recte coluit, quamque ipſe & mox alii in diſciplina naturali inſigni cum hujus emolumento & augmento in uſum vocarunt. Hujus certe quemadmodum totius Philoſophiæ illo tempore miſerrima erat facies, & præter obſcura, barbara & inania vocabula, figmenta & nugaciſſimas ratiocinationes haud multa, quæ magni momenti videantur, libri phyſici, tunc in lucem editi, recondunt. Neque hic præclari quippiam ſperare licebat ab hominibus qui ſedula operum naturæ conſideratione poſthabita, eam non qualis eſſet, ſed ex ingenio confictam ſiſtere conabantur. Felici vero ſidere a Verulamio experimentorum uſu introducto, mox liberaliori & elegantiori ſe conſpiciendam vultu univerſa naturalis philoſophia præbuit. Sed uti de hac prolixius agendi hic non eſt locus, ita paucis annotaſſe ſufficiat, duplex novam hanc philoſophandi rationem Phyſiologiæ commodum attuliſſe, alterum, quod innumeræ veritates phyſicæ ea via detectæ novum mox

r) De duodeno plurimorum morborum ſede.

mox illi quoque diſciplinæ lumen accenderint atque adeo philoſophia naturalis eidem nunc multo rectius, quam olim inſerviat; alterum quod, qui ex eo tempore doctrinam de homine agitarunt, eandem ſibi tentandam eſſe viam ſtatuentes multorum phœnomenorum, quæ in corpore noſtro obſervantur, rationes ab experimentis feliciſſime deduxerint. Quod argumentum alia occaſione ex inſtituto exſequar.

XXII.

Denique animadverterant quidam ex Medicis, non ſine ſucceſſu methodi atque diſciplinarum mathematicarum uſum ab aliquibus in Phyſicam introduci cœpiſſe, imo qui iſta via rem eſſent aggreſſi, longe accuratius & elegantius præ reliquis hanc diſciplinam expoſuiſſe. Idem igitur in Phyſiologia fieri poſſe perſuaſi,totam hanc doctrinam principiis mathematicis ſuperſtruere, ac methodo mathematica tradere in animum inducebant. Quod utrum recte fiat, nec ne? quæri ſolet. Sed ut quousque progredi hic liceat, litem meam nunc non faciam: ita ſi, quousque hoc auxilio adjuti adhuc nonnulli ſint progreſſi,ſine ambitione quis examinare velit, haud certe fruſtra horum laborem ceſſiſſe deprehendet. Enimvero methodus ipſa,qua utunturMathematici, etſi toti diſciplinæ nunc quidem applicari minime poſſe videatur: in multis tamen eo cum ſucceſſu ab aliquibus fuit adhibita, ut, quæ hac ratione in ſcriptis ſuis tradiderunt,majori longe cum evidentia & ἀκριβείᾳ, meliori etiam ordine, quam communiter fieri conſuevit, expoſita eſſe obſerventur. Deinceps etiam principiis a Mechanica præſertim,Hydraulica,Hydroſtatica & Aërometria mutuatis tam egregie in hoc negotio ſunt uſi, ut nemo alius ſtructuræ plerarumque partium & motuum, quibus perficiendis illæ inſerviunt, ſolidiores dare rationes, ipſosque motus accuratius determinare, atque adeo corporis noſtri functiones explicare rectius adhuc potuerit.

§.XXIII.

§. XXIII.

Quæ vero ab Iātro-Mathematicis in Phyſiologia hactenus in primis ſint acta, breviter, accurate tamen, ſingulari diſſertatione, s) quam ſub modeſto dubitationis titulo propoſuit, docet Vir Celeberrimus Theodorus Zvvingerus, in qua ſimul, quæ deſiderari ab iis merito adhuc queant, exponit. Liceat mihi, pace tamen tanti viri, meam quoque ſuper hoc negotio ſententiam expromere. Quemadmodum igitur nullum eſt dubium, permulta adhuc in illo negotio ſupereſſe, quo penetrare Iātro-Mathematicorum induſtriæ nondum fuit conceſſum: ita ulterius tamen eosdem jam proceſſiſſe exiſtimarem, quam ut in cortice adhuc hærere dici mereantur. Certe quæ ſuperiori paragrapho jam confecta eſſe dixi, quæque laudatiſſimus vir uberius & ſigillatim exponit, ac digna laude putat, ea mihi ita comparata eſſe videntur, ut, quæ præcipua ſunt, fere expediviſſe Doctores credam. Excipio humores in corpore noſtro contentos, qui omnino magis adhuc ſub examen revocari merentur, ut eorundem natura, & quibus mutationibus obnoxii, aut quibus producendis idonei ſint, rectius pateat: in quo tamen negotio Chymicorum potius, quam Mathematicorum induſtria in poſterum requiri poſſit: ex reliquis vero, quæ in allegata diſſertatione in deſideratorum numerum referuntur, pleraque ejus conditionis putarem, ut, quemadmodum vix ſperare licet, unquam ad illorum nos notitiam perventuros, neque etiam, ſi eo pertingere forte daretur, uſum aliquem ea habitura eſſe, ita ad ſolutionem earum quæſtionum, quæ expeditæ jam ſunt, neceſſario requiri non videantur.

§. XXIV.

Eodem fere modo ſe res habet, ac cum horologio, cui corpus humanum non inſcite, tantum eadem ratione

 ſimile

s) De methodo docendi Medicinam mathematica.

ſimile intellectum non ultra, quam decet, extendatur, a multis comparari ſolet. Jam vero ſicuti is, qui ex rotularum & reliquarum partium ſtructura, elatere, poſitu & ordine motus omnes in horologio explicavit, omnia, quæ in hoc negotio deſiderari queunt, expediviſſe cenſendus eſt; quamvis, in quo minimarum partium elater, & ex quibus moleculis compacta ſit materia, ex qua illæ conſtant, exponere haud valeat: ita etiam, ſi quis ex partium corporis noſtri ſtructura, connexione & elatere determinaverit motus, qui in eo obſervantur, & functiones, problema mihi ille videtur ſolviſſe, nec ad iſta explicanda requiri omnino puto, ut quomodo ex minimis moleculis fibræ minimæ ſint conflatæ, quæ ratio ſit elateris earundem, & alia hujus generis demonſtrare poſſit.

§. XXV.

Neſcio, an opus fuerit, hic monere, quod de corpore tantummodo humano mihi ſermo ſit: neque vero etiam niſi hujus ratio haberi a me hactenus debuit, quod neminem adhuc Mathematicorum adeo deſipuiſſe ſciam, qui animæ actiones Mechaniſmi legibus ſubjicere tentaverit, & proinde ea emendatio, de qua modo egi, non niſi ad corpus, qua machinam, pertineat. Quodſi vero quis miretur, de influxu animæ in illud ne nunc quidem quicquam a me dici, paucis inſtituti mei rationes ei indicabo, ne me, qualis & quantus ille ſit, ignorare exiſtimet, aut plane criminationi occaſionem quærat. Primo itaque in ea ſum ſententia, quæ de hoc influxu diſputari ſolent, doctrinæ phyſiologicæ, certe quatenus ad medicum hæc pertinet, neque lucis aliquid neque utilitatis præbere; poſſe quidem illum & debere a Medico inſtar phœnomeni conſiderari, cujus tamen ei ratio non magnopere ſit curanda. Deinceps de novitatibus, quibus hæc doctrina ſit promota, cogitanti, nihil mihi in illis diſputationibus, ab iſto quidem argumento deductum reperire novi licuit, quod hunc cenſum mihi ſubire

poſſe

poſſe videatur. Qua in re ſi quis meliori fortuna uſus fuerit, liberum huic erit, quæ a me prætermiſſa eſſe reperiat, cum lectoribus communicare.

§. XXVI.

Quando vero de humoribus dixi, quod horum proprietates Chymiæ auxilio ulterius enodari adhuc debeant: non prætereundum ſilentio eſt, hanc quoque viam a multis recentiori ævo eſſe tentatam. An bono conſilio? itidem varie diſputari ſolet, magis etiam, an cum ſucceſſu? Jure vero meritoque illud in iis, qui Chymiæ ope perficere Medicinam conati fuerunt, laudandum exiſtimo, quod experimentorum uſum in primis commendantes, nihil in hac arte, niſi quod experientia per ſenſus confirmaſſet, ſtatuerint, admittendum: magis adhuc laudandi, niſi ab hac regula ſæpius deflectentes, experimentorum loco ſomnia ſua propalare ſatis habuiſſent. Quamvis alio inſuper nomine reprehenſionem mereantur. Cum enim haud alia, quam quæ per ignem ac fermentationem fiunt, experimenta tentanda ſibi ſtatuiſſent: quorum ope utut nonnullas humorum proprietates ſatis commode explicare liceat, minime tamen illa omni huic negotio expediendo ſufficiunt: in eum mox errorem delabebantur, *naturam ſua metiri deſtillando, irrigando, ſiccando, calcinando, reſolvendo, iisdem plane mediis, quibus intra ejusmodi operationes abſolvunt, adeoque artificem naturæ operationes mutando, ejusdem proprietates & ſcientiam nanciſci.* t) Qui error novorum mox fœcundus fuit. Non enim contenti humorum corporis noſtri naturam & effectus ex principiis & operationibus chymicis explicare, viſcerum quoque functiones, & quæ alia ad hominis naturam pertinent, ad Chymiæ leges revocare non dubi-

t) Verba ſunt Helmontii in Philoſophia Ariſtotelis & Galeni ignara.

dubitabant. u) Utque tandem, quod olim de Philoſophis dicebatur, nihil tam abſurde aut fatue ſtatui poſſe, ut illud non ſtatuerit ex illis aliquis, ad ſe rectius pertinere oſtenderent: eo tandem progreſſi fuerunt aliqui, ut *fermentationis ope naturam moliri omnia, adeoque hominem ratione fermentorum naſci, nutriri, ac denique* mori affirmarent, atque ab hac fermentatione omnem ſanitatis & morborum rationem deducerent. x) Puto hæc ſpecimina ſufficere, ex quibus judicium fieri poſſit, quam auſpicato Chymiam, egregiam de cetero diſciplinam, & quæ in Phyſiologia etiam vario ſe adhuc uſu commendavit, in hanc a Paracelſo atque Helmontio introducta fuerit, & quam pulchre eandem emendaverint ipſi, & qui horum veſtigia ſecuti fermentationis atque ignis auxilio opus hoc perficere aggreſſi ſunt. Sed pluribus aliis ineptiis, hanc Medicinæ partem uti reliquas, contaminarunt duo illi novatores, ne prorſus dubitarent poſteri quales & quanti heroës iſti eſſent, qui omnem Græciam atque univerſam Arabum ſcholam vanitatis atque ignorantiæ arguere, & Philoſophiam Ariſtotelis & Galeni ignaram dicere ſuſtinuiſſent. Sed illarum recenſione lectoribus nauſeam movendam nunc non puto.

§. XXVII.

Tametſi vero, quam non ſufficiant explicandis iis omnibus, quæ in corpore noſtro contingunt, Chymicorum principia, abunde ſatis & ſolidiſſime multi hactenus demonſtrarunt: inventus tamen eſt nuper, y) qui rejecta Anatomia, quæ cultro interiora corporis noſtri inveſtigare nititur, & Iätro-Mathematicorum conaminibus, ſatis quidem pro autori-

u) Conf. Franciſci Sylvii opera, qui hoc inprimis egit.

x) Huic hypotheſi Thomas Williſius Phyſiologiam ſuam & Pathologiam ſuperſtruxit, a qua non valde diverſa eſt, cui Tackenii placita innituntur.

y) Autor libelli de Vitæ animalis morbo & medicina.

toritate & inclementer ad orcum relegatis, intimiorem illam, uti vocare libuit, Anatomiam, quæ mediante igne cortices rumpit, & ſequeſtratis terreis & aquoſis vinculis dotes corporum naturalium congenitas in apricum producit, tanquam unicam viam, qua nucleus obtineri poſſit, z) & quaſi ſanctiorem, ſi Diis placet! commendandam exiſtimaret. Non patitur hic locus, neque res tanti eſt, ut accurate examinemus, quam egregiis ſpeciminibus Chymiæ uſum is in hoc negotio adſtruxerit, aut quantum priorum fabulis addiderit: mirum tamen videri poſſit, qua fronte dogmata ſua, quæ nullo ſane criterio a phantaſiis, quæ ſomniantibus aut in ecſtaſi poſitis offerri nonnunquam ſolent, diſtinxeris, ſub majoris ſanctitatis ſpecie obtrudere hominibus ſuſtinuerit: etſi ob hanc ipſam modo allegatam rationem, nihil hic, quod mirari conveniat, mihi feciſſe videatur.

§. XXVIII.

Ceterum illud ſanctioris Medicinæ nomen, & calumnias, quibus Medicinam mechanicam infamare non dubitavit iſte Pſeudo-Democritus, mecum perpendens, cogitavi, annon in hac tractatione de ſtudio novitatis vel præcipuum quendam locum vendicare ſibi poſſit egregium hoc inventum, quo cum illo autore, ut arti ſuæ, vel potius ſingularibus ſuis hypotheſibus, autoritatem quandam concilient, ab aliquo tempore Medici nonnulli utentes, non, qui olim mos erat, & viros cordatos magis decere videbatur, ſolidis rationibus aliorum doctrinam oppugnare ſatagunt, ſed argumentis ab invidia deductis, ceu impiam & Chriſtianæ religioni adverſam apud alios criminantur: tanto quisque impudentius, quanto minus fundamentorum, quibus ea nititur, gnarus eſt: ſuam contra piam, ſanctam, & quidni cœlitus delapſam? dictitantes. Mihi quidem hoc artificium plane novum non

 vide-

z) Vid. in primis Cap. 3.
a) Præf. p. 6.

videtur, qui, ſi opus foret, ex Ægypto, Græcia, aliisque terris facile producerem, qui antiquiſſimis jam temporibus illud ſatis callide, nec minori commodo coluerint: operæ tamen forte pretium eſſet, quid noſtrum ſeculum huic inventioni addiderit novi, vel in ea emendaverit, paulo curioſius examinare, tum aliis de cauſis, tum quod ſine hoc lumine præcipua quædam ad progreſſum Medicinæ ſpectantia recte intelligi nequeunt. Sed tam præclarum argumentum anguſto ſpatio coarctari non decet, cumque ad univerſam artem pertineat, & praxi ſi non medicæ, ſaltim Medicorum illuſtrandæ potiſſimum inſerviat: ejus tractatio hic tantiſper a me ſeponi poteſt.

§. XXIX.

Reſtat, ut, quando recentioris Phyſiologiæ præ veteri præſtantiam pluribus argumentis hactenus evici, nunc quomodo illa inventa Medicum arti aptiorem reddant, paucis oſtendam. Quodſi vero Celſus *Hippocratem & Eraſiſtratum, & quicunque alii, non contenti febres & ulcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte ſcrutati ſunt, non ideo quidem Medicos, verum ideo quoque majores, Medicos* b) appellandos ſtatuit: minime dubitandum eſt, novis illis luminibus adjutos, recentioris ævi Medicos, non modo Hippocratem, Eraſiſtratum & reliquos omnes primorum temporum, ſed etiam quicunque ſine illarum rerum cognitione morborum curationem deinceps tentaverunt, non paucis poſt ſe paſſibus reliquiſſe. Quamvis enim principiorum, quibus Hygieine & Therapia niti ſecure queat, loco omnes haſce veritates jam nunc habendas non putem, neque de plurimis id quidem affirmare auſim: quædam tamen ſatis præclare hanc ſibi laudem vendicant, ad reliquarum vero commendationem ſufficit, quod ad multarum obſervationum, tam ſanis, quam ægris utilium, notitiam Medicos perduxerint, ſive iis inquirendi ſaltim anſam præbuerint, ſive inveſtigantibus etiam lucem ſubminiſtraverint, ſive alio quo-

b) Hæc ſunt ipſius allegati autoris verba in præf. lib. I.

quocunque modo: quarum proinde nos obſervationum plurima pars, ſi illæ minus fuiſſent cognitæ, nunc æque ac veteres forte lateret. Arduum neque expediendum facile mihi negotium videtur, ea, quæ modo de inventorum phyſiologicorum utilitate dixi, ita evincere, ut nihil plane apud ſecus ſentientes dubii relinquatur. Qui multarum rerum ſcientia inſtructi ad diſciplinas & artes in vita utiles animum applicant, nullo interdum negotio præſtantiſſimas veritates inveniunt, quas & alii ſine illa nequicquam quærerent, & ipſi, eadem deſtituti, nunquam forte detecturi fuiſſent: ſi quis tamen poſtularet, ut ab iſtis principiis, a quibus eo pervenerunt, juſta methodo illas veritates deducerent, nullum dubium eſt, quin caſui inventum ſuum referre acceptum, quam quod ſine labore repererunt, ejus longiorem demonſtrationem operoſius tentare mallent. Quid vero labori alicui feliciter peracto occaſionem tantummodo dederit, aut eum adjuverit, plerumque, ſine artificis indicio, conjectura aſſequi vane annitaris. Hæc quamlibet levia aliquibus videri queant, monenda tamen hoc loco fuerunt, partim, ne forte quis miretur, ſi uſum inventorum phyſiologicorum in praxi medica ſolide hic demonſtratum non reperiat: quod vel unico exemplo, maxime tamen iis, quæ ſupra allegavi, hac ratione præſtare, ut nullus objectioni locus relinquatur, nimis longum foret: partim ut appareat, quam feſtinanter, & parum æque agant, qui, ubi de invento quodam in theoria ſermo eſt, nova ſtatim ſibi remedia nominari cupiunt, quæ illius ope ſint detecta: cum ad hæc non niſi per varios gradus ab illis perveniatur. Ceterum, ſi eorum labor, qui recentiori ævo fabricam corporis noſtri rectius docere cœperunt, non parum promovendæ arti inſerviit: quanto ea doctrina, quæ omnium partium uſum verius explicat, & ad quam magis magisque expoliendam omnis Anatomicorum opera collineare tandem debet, idem præclarius feciſſe cenſenda eſt. Ut vero remediorum in

quovis

quovis caſu applicationem, in qua, non in illorum ſinventione potiſſimum momentum in praxi conſiſtere jam obſervavi, probe ſcias, non ſola ſcientia phyſiologica ſufficit: ſed ut præter multa alia, in primis quoque ea, quæ de corporis humani morbis in Pathologia traduntur, accurate explorata habeas, neceſſe eſt. Hæc autem ipſa quam parum apte ſine ejusdem Phyſiologiæ luce explicari queant, in confeſſo eſt apud omnes, qui aliquem theoriæ uſum concedunt, reliquis in Pathologia demonſtrari debet. *Sufficiat* mihi hic allegare illas quæſtiones: quarum maxime partium integritas ad ſanitatem requiratur? quibus præcipue morbis quælibet opportuna ſit? quæ in hoc illove morbo laboret? quantum ejus labes vitæ ac ſanitati præjudicii afferat? quid ad aliarum partium functiones turbandas ea valeat? quid natura ejus, & ſitus & cum aliis connexio ſpei vel periculi, auxilii vel impedimenti offerre medenti poſſit? quas nemo aut Practicis minime curandas eſſe dixerit, aut niſi omnium partium functiones accurate intelligat, feliciter expediverit. Jam ſi C. S. inventum ita hanc omnem doctrinam illuſtravit, ut ejus demum beneficio plerarumque partium uſum recte explicare Medici cœperint: ſatis quidem hoc ad illius laudem eſſe poſſit: etſi ne unico remedio pharmacopolia noſtra auxiſſe illud reperiatur. Ut tamen hujus & aliorum quorundam inventorum uſus aliquanto propius conſpiciatur, & ſimul quam temere ſuas ædificandi rationes interdum inſtituerint, qui iſtas novitates, neglectis obſervationibus practicis, fundamentorum inſtar adhibere ubique non dubitaverunt, vel quarum veritas nondum evicta prorſus eſſet, aut alias dubias & falſas hypotheſes illorum loco arripuerunt: ulteriorem diſquiſitionem tractationi de ſtudio novitatis in Pathologia & Therapia reſervabo.

F I N I S.